7

# DE
# NAUSEA AC VOMITU
# GRAVIDARUM.

DISSERTATIO MEDICA

IOANNIS FRIDERICI KOERBER

ESTHONI

Papiae 1789.

Ex Typographia R. I. Monasterii S. Salvatoris

*Praesidib. rei Litter. permittentib.*

Sumptib. Balthas. Comini Bibliopolae Ticin.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b31868708

---

## *Praefatio.*

In tanto eoque maxime vario ſymptomatum, quibus graviditatis tempore feminae affligi ſolent, numero, etſi quidem omnia digna ſint, quae diligentia ac cura accuratiori a nobis conſiderentur, ac perſcrutentur *a*), pro libelli tamen virium-



*a*) Sic *Hippocrates* lib. de morb. muliebr. I. *multa*, ait, *ſupervenire et ſuccreſcere ſolent gravidis mala, ideoque prudenti cura opus eſt, ut foetum feliciter geſtent.*

que modulo unum ex tanta copia genus, symptomata nimirum nauseae et vomitus eligere, cuius naturam cauſſasque indagare, quidve gravidis ipſis cavendum, in medium proferre conemur, nobis consilium eſt. Pro vario autem corporis habitu, variisque vitae degendae rationibus, varia etiam gravidarum inveniuntur symptomata. Sunt enim, quae nullo per totum graviditatis tempus affligentur morbo, dum interea aliae multis iisque graviſſimis, quae quidem graviditati adhaerere solent, symptomatibus laborent. Huius autem generis mala praecipue inveniuntur haec: primum, in primis graviditatis menſibus, vel ſtatim poſt conceptionem

ipsam,

ipsam, vel fluxu menſtruo suppreſſo gravidis evenire solet, ut nausea vomituque vexentur, cibos solitos faſtidiant, diversorum vero insuetorumque ciborum deſiderio urantur; (id quod vulgo audit Pica et Malacia) ac faciei color rubicundus nitidus in pallidum mutetur, corpusque emacietur; deinde graviditatis tempore progrediente, haud raro exiſtant mammarum, lumborum ac artuum dolores, tussis, vertigo, capitis dentiumve dolores, et huius generis plura; in ultimis tandem graviditatis menſibus tumores pedum ac crurum oedematoſi, varices, urinae et alvi obſtructiones, fluor albus, somnus perturbatus, difficultas respirandi, aliaque

mala gravidas invadant. Ceteris itaque omnibus miſſis, pro inſtituti ratione de nauſea vomituque gravidarum differendi initium faciamus.

---

Sectio

# Sectio I.

## *Notio ac Diviſio Nauſeae et Vomitus gravidarum.*

§. 1.

*Nauſea* irritus dicitur vomendi conatus, coniunctus cum ciborum nonnullorum faſtidio, ubi nempe ventriculus ad cardiam quidem effertur, attamen contentorum nihil eiicitur. *Vomitus* autem motu ventriculi conſiſtit violentiori ac convulſivo, quo ipſe una cum inteſtinis motu inverſo actus, diaphragmate abdominiſque muſculis vehementiſſime concuſſis, contenta per os eiicit. Vomitus autem, cuius cauſſae a vi ventriculi vitali elaſticaque inſolito aucta praecipue repetendae, tres inveniuntur gradus: primus leni tantum conſiſtit concuſſione, proprieque *nauſea* dicitur; qua aucta alter deprehenditur gra-

dus, *ructum* vocant, motu ad pharyngem propagato consistens; ultimus tandem gradus maximo continetur motu, *vomitus*que ipse est.

§ 2.

Tantus autem morborum, quorum symptomata praecipue sunt nausea et vomitus, numerus, tantaque caussarum invenitur diversitas, ut, de quibus nos hoc loco agimus, nausea et vomitus gravidarum minima horum malorum pars possit vocari. De ceteris autem nauseae et vomitus generibus, ut quae in febribus gastricis, in itinerum maritimorum iactatione, in hernia ventriculi, aliisque morbis, quid? ab ipso animi motu vehementiori, ira imprimis evenire soleant, praeclare egerunt plures viri artis medicae periti *b*).

Nansea

*b*] V. praecipue Frid. Theod. Reitz dissert. de Vomitu. Traiecti ad Rhenum 1761. et Morgagni de sed. et caus. morb. Epiſt. XXX. Art. 8-13. et Epiſt. LI. LII. LIII. LIV.

## § 3.

Nausea et vomitus graviditatis symptomata haud insolita, in tribus graviditatis mensibus *c*) primis praecipue oriuntur. Etsi plures viri docti *d*) persuasum sibi habeant, in primis statim post conceptionem diebus vomitus frequentissimos evenire, et huius rei exempla adsint *e*); experientia tamen docemur, gravidarum plurimas non nisi menstruis primum intermissis vomere incepisse.

## §. 4.

c) Nos semper menses lunares, viginti et octo dies comprehendentes intelligere, ideoque graviditatis tempus per decem menses lunares censere, omnino, ut lectores admoneamus, neceſſe videtur.

d) MAURICEAU Traité des maladies des femmes groſſes. T. I. Paris 1721. 4to. p. 129. CHAMBON DE MONTAUX des maladies de la groſſeſſe à Paris 1785. T. I. p. 116. 8vo. VAN SWIETEN in Comment. in Aphor. HERM. BOERHAAVE de cognosc. et cur. morb. T. 4. p. 467. Qui in graviditatis initio plures, quid? foeminam nuper nuptam altero poſt nuptias die ſtatim nausea ac vomitu laboraſſe auctor eſt.

e) Vterus enim ſtatim poſt conceptionem insolito cum contrahatur, et ipse una cum ventriculo ramos a nervo intercoſtali accipiat, dolores nervorum uteri hoc modo nervis ventriculi communicantur, illumque irritantes vomitum efficiunt.

§ 4.

Hebdomade autem graviditatis duodecima vel decima sexta praeterlapsa illud malum vulgo cessare, ciborumque desiderium redire solet. Huius rei caussa varie a variis explicatur. PRIMEROSIUS *f*), MAURICEAU *g*), ASTRUC *h*) et DELEURYE *i*) inde explicare volunt, quod foetus magis magisque crescens, ideoque maiori nutrimenti copia indigens, consumta maiori humorum quantitate impediat, quo minus illi abundanter in ventriculum redeant. Et placentam praeterea copiam sanguinis maiorem requirere. Expansioni etiam maiori tunc temporis assuefactum iam esse ventriculum. Cel. autem HAMILTON *k*) vomitus sub dimidia graviditatis parte, quinque mensibus

*f*) De mulierum morb. et symptom. Roterd. 1655. 4. T. 4. p 4. p. 249.

*g*) l. c p 129 sq.

*h*) Traité des maladies des femmes à Paris 1761. 8. T. II. p. 47.

*i*) Traité des accouchemens. Seconde edition, a Paris 1777. § 354.

*k*) Treatise of Midw. Lond. 1781. 8. p. 115.

bus elapsis, cessantis caussam a mutato uteri, super pelvis minoris marginem assurgentis, situ repetit. PUZOS *l*) vero hanc profert sententiam, gravidas foetum vivum utero si gerant, cum, sanguine largius ad foetum transeunte, plethora minuatur, uterusque tum propter humorum fibras eius emollientium affluxum, tum propter consuetudinem minus iam resistere conetur, tertio vel quarto graviditatis mense ultro vomitus liberari malis; id quod non evenire soleat, mater molam, seu foetum mortuum, in utero si gerat. Quae cum ita sint, exempla tamen extant nonnulla, quibus docemur, praeter solitum tempus etiam ad partus ipsius momentum usque nonnullas vomitu fuisse vexatas *m*), omnesque cibos praesertim graves, quid? panem ipsum evomuisse.

§ 5.

Matres nonnullae, minoris corporis staturae

*l*) Traité des accouchemens, à Paris 1759. 4to. p. 73.

*m*) Oevures de M. Guillemeau liv. 1. chap 2.

turae praecipue, foetum magnum in utero altius elatum gerentes, et ciborum desiderio nimium satisfacientes, in ultimis potius, quam in primis graviditatis temporibus, nausea, et vomitu solent vexari. Primum enim ventriculus, quum utero magis expanso, impediatur, quo minus ad alimenta, quae nimia accepit copia, satis commode continenda, aperire ac dilatare se possit, illa vomitu eiicere cogatur necesse est. Deinde quoque bilis, utero vesiculam velleam premente, in ventriculum irrumpentis affluentia, ventriculus ad vomendum irritatur. Haec autem vomendi consuetudo, ab illa in primis graviditatis temporibus, ob diversitatem caussarum distinguenda, edito partu cessare demum solet. Huius rei exemplum tradidit MAURICEAU *n*) gravidam quandam foetum insolitae

GOUBELLY Connoiſſances neceſſaires sur la groſſeſſe. Paris 1785. 8. T. II. p. 114. MAURICEAU Observations sur la groſſeſſe, Obs. 252. 527. HÜCKEL Diſſ. de vomitu gravid. Frcf. ad Viadr. 1733. Thes. II.

*n*) l. c. obs. CXXIV.

litae magnitudinis in utero gerentem, in graviditatis mense octavo et dimidio, usque ad partum ipsum per hebdomadis tempus totum frequente laborasse vomitu.

§ 6.

Haud raro porro evenire, ut mulieres partus tempore ipso nausea ac vomitu vexentur, inter omnes constat, qui parturientibus opem ferre solent; id quod caussarum ignaris mali ominis, mortis instantis signum videri sane possit. Cum autem magnus sit consensus et sympathia nervorum uteri cum illis ventriculi, doloresque ideo in partu a pressis uteri nervis orti, ventriculo communicentur, eumque spasmo contrahant, vomitus inde ortus, nisi modum excedat, brevi tempore finiendi signum praebet partus. Nimius autem sub partu vomitus, corporis robur infringens, lipothymiam secum adducens viresque exhauriens, noxius omnino est a).

§ 7.

a) La Motte Traité complete des accouchem. Paris 1765.

§ 7.

Instantis vomitus indicia praecipue inveniuntur haec: cibi fastidium, nausea, cordis et praecordiorum angustia, anxietas, uti aegrae loqui solent, dolores circa ventriculum, respiratio celerior et molesta, pulsus parvus et frequens, vertigo, pallor faciei et sudor frigidus imprimis frontem occupans, horrores atque oscitationes, ructus, tenebrositas visus et tremor labii inferioris, salivae denique in os affluxus solito maior.

§ 8.

Plerumque matutino tempore, ieiuno adhuc corpore, gravidas e lecto surgentes nausea et vomitu affligi, et tunc multo melius se per reliquam diei partem habere, quam deficiente hac evacuatione, observatum est *p*)

1765. 8. To. II. p. 1008. ubi exempla affert feminarum, quae in ipso partu perpetuo vomitu ita viribus privabantur, ut foetu mortuo edito et ipsae morirentur.

p). Sunt etiam gravidae, quae cibo avide sumto vomere soleant. Saepe etiam vomitus per totum diem continuat q). Nonnunquam ad certum tempus circumscriptum esse legimus r).

§ 9.

Aliae gravidae cibos ingestos statim evomunt, aliae vero non admodum plethoricae, cibis in ventriculum receptis et concoctis, matutino tempore, ieiunae adhuc, nonnulla cochlearia materiae serosae, tenacis ac pituitosae vomitu eiiciunt. Quo facto ciborum ita redire solet desiderium, ut, quemadmodum Cel. ait LA MOTTE s) natura, ipso hoc vomitu humores superfluos e ventriculo emittens, novorum ciborum coctionem optime praeparare videatur. Aliae denique humores biliosos, acidos

p) PUZOS l. c. p. 76.

q) *Hailers Vorles. u. d. gerichtl. Arzeney wiſſensch.* Bern 1782. in 8. p. 62.

r) GOUBELLY l. c. T. I. p. 88.

s) L. c. T. I. p. 154.

dos, interdum etiam sanguinem purum per vomitum reddunt *t*).

§ 10.

In hac autem a gravidis vomitu eiecta materie semen virile, ex utero arcessitum latere, veteres olim somniaverunt *x*). Habuerunt eandem hanc materiam plures haud ignobiles auctores, mixtionem humorum corruptorum. Cl. autem CHAMBON DE MONTAUX *u*), examinata accuratius natura illorum humorum, auctor est, maximam partem liquido consistere tenaci, salivae quodammodo simili. Pancreatem nempe copiam illius humoris, bilis instar, in cavitatem ventriculi assurgentis suppeditare; ventriculum autem illo humore irritatum, contrahendo

*t*) Praeter solitam vomitus gravidarum materiam de qua iam diximus, relatum invenimus, nonnullas gravidas, aliam valde ab illa diversam, bile et sordibus nigricantibus immixtam evomuiſſe. Cf. MAURICEAU l. c. obs. 374. 453. et LA MOTTE l. c. obs. 344. 358.

*u*) *Io Storch v. Krankheit. der weiber* Goth. 1748. in 8vo B. 3. S. 370.

*x*) L. I. p. 135.

hendo illum emittere. Cum enim glandulae salivales in structura et usu similes sint pancreati, et per graviditatis tempus a plethora, ut ceterae partes, irritentur, mirum non esse, ut salivam suppeditent abundantem. Huius viri sententiam verisimillimam ut amplectar, eo praesertim moveor, quod aliunde satis constat, a pancreatis vitiis vomitum saepissime esse deducendum.

§ 11.

Gravidae, et sanguine abundantes, et delicatulae, praesertim quae cibis et quidem dyspeptis immodice utuntur, et quibus fluxus menstruus antea fuit largus, nausea et vomitu praecipue affligi solent; porro quae vitam agunt sedentariam ac umbratilem, nimis otiosam, aëre immorantur impuro, animique affectibus valde perturbantur; denique quae ventriculum, vel leviter repletum, angustis circumdant vestibus *y*). Quae autem vitam agunt illi omnino



*y*( Nenter Fund. med. T. 2. p. 857.

nino contrariam, laboriosam nempe ac sobriam, nullis nauseae et vomitus malis solent affici, id quod in rusticis praecipue potest intelligi. Haereditariam autem corporis dispositionem non raro caussam vomitus illius esse, bene observavit CAMERARIUS z).

§ 12.

Nauseam autem gravidis praecipue faciunt carnes, cibique carne mixti, ita ut saepe ne aspectum quidem et odorem ferre possint. Fastidiunt porro omnes fere cibos graves, butyrum, nonnunquam etiam panem

z) De vomitu gravid. Tubing 1682. §. 7. Memoratu digna videntur quae Cel LA MOTTE l. c. p 179. de vomitu his ait verbis : Les femmes groſſes, qui ont les jambes enflées, ne vomiſſent pas ordinairement. Ce qui fait aſſez voir, que ces humeurs superflues, au lieu d' être évacuées par les parties supérieures, coulent de l' eſtomac dans les inteſtins, paſſent en suite avec le chyle, se melent aprés cela dans le sang, avec le quel elles sont précipitées vers ces parties inférieures, et ensuite separées par les glandes de la peau, sous la quelle elles demeurent renfermées par le défaut de transpiration.

nem ipsum *a* ). Multae etiam vinum fugiunt, cerevisiam potumque arabicum Caffée. Nonnullae denique certos tantum fastidiunt cibos, quos sumtos mox evomunt, alios autem amant ac retinent *b* ).

§ 13.

Suppresso subitaneo modo fluxu menstruo, quum nausea et vomitus signa sint prima, e quibus mulieres graviditatis suspicionem haurire soleant, a nonnullis haec symptomata graviditatis habentur pathognomonica *c* ). Symptomata autem illa, etsi



*a* ) La Motte l. c. p. 152.

*b* ) Inter rariſſima nauseae gravidarum exempla memoratu dignum videtur quod Nic. Pechlinus in Obs. Phys. med. lib. 1. obs. XLV profert, gravidam nempe poſt conceptum viri aspectus et oscula concubitumque ita faſtidiſſe ac fugiſſe, ut, appropinquante marito, nausea vomituque afficeretur.

*c* ) Et Hippocrates symptomata haec iudicabat graviditatis certiſſima. Aphor. 61. Sect. V. Si mulieri, ait, purgationes non prodeant, neque horrore neque febre superveniente, cibi autem faſtidia ipſi accedant, hanc in utero gerere putato. Cui aſſentiri videtur quodammodo

omnino negligi non debeant, ita tamen comparata sunt, ut pathognomonica minime poſſint exiſtere. Feminae enim, quamquam minime gravidae, cum propter impuritates in primis viis stagnantes, tum propter vitium ventriculi, menstruis etiam cessantibus, aliisque caussis nauseare et vomere possunt. DEVENTER *d*) cessationem, ait, menstruum, vomitum, appetitum prostratum, malaciam nonnunquam et non praegnantibus virginibus cum gravidis communia inveniri. Uti etiam in puellis chlorosi laborantibus quotidie observatur. Porro LA MOTTE *e*) nonnullas feminas non gravidas, sola actione coitus, ob uteri et ventriculi sympathiam vomuisse auctor est. Novit autem virgines duas, quae singulis

modo Ill. HALLER *in Vorles. u. d. gorichtl. Arz. Wissensch* p. 62. Porro Cel. STEIDELE *in Verhaltungsregeln für Sehwangere, Gabährende und Kindbetterinnen*. Wien 1787, p 30 ait: *Wahrscheinlich kann die Frau eine Schwangerschaft vermuthen, wenn ſie bey dem Ausbleiben des Monatlichen gesund iſt, die Brüſte gröſſer zu seyn fühlt, besonders aber wenn das Brechen anhält.*

*d*) In arte obſtetric. Lugd. Bat. 1733. in 4to. p. 54.

*e*) L. c. T. I. p. 150.

gulis mensibus paulo ante fluxum menstruum, quum uterus irritaretur, violenti vomitu laborabant. Plures feminae hoc modo vexantur tempore menstruationis, quam inde difficilem dolorificam appellare solent. Etiam Ill. BOERHAAVE *f*) ob suppressos menses et inde mutatam sanguinis circulationem nauseam et vomitum virginibus nonnunquam accidere docet. Cum autem accidat, ut gravidae ipsae interdum minime vomitu et nausea afficiantur, satis apparet, symptoma hoc solum graviditatis admodum esse incertum, imprimisque autem in gravidis tenuis valetudinis, et nihil accidere posse humanius, quam hac in re errare *g*)

 § 14.

*f*) Praeleꝏt. acad. in propr. inſtitut. rei med. c. notis HALLERI T. V. P. II. p. 560.

*g*) Observatum interdum eſt, feminas, puerum utero gerentes, semper, filiam geſtantes, nunquam, et vice versa, filia gravidas, semper, puero autem, nunquam vomuiſſe. HVECKEL l. c. feminae mentionem facit, quae filiam in utero gerens quotidie ab initio usque ad finem graviditatis vomere solebat, non ita ſi filium in utero gereret. Qua observatione freta in poſterum non temere foetus sexum divinabat.

## § 14.

Nisi vero nimia frequentia et impetu vomitus gravidarum vires exhauriat, symptoma minime timendum haberi debet, imo potius, iustis limitibus circumscriptus, valetudini gravidarum haud parum consulere solet. Plethora enim, gravidis admodum noxia, hac humorum inutilium e ventriculo evacuatione minuitur *h*). Deinde musculis abdominalibus per vomendi conatus et ventriculi intestinorumque motus vehementiores expansis, spatium in cavo abdominis efficitur maius, ita ut uterus ad expandendum locum accipiat commodum. Sordes porro noxiae, quae graviditatis tempore in primis viis accumulantur, hoc ipso vomitu eiiciuntur, sanguinisque omnino eo acceleratur circulatio. GOUBELLY *i*) itaque vomitum, ni sponte gravidis satis eveniat, exci-

*h*) V. Cl. MONRO in Eſſays and Obs. of Edinb. T. II pag. 121. sq.

*i*) L. c. T. I. p. 131.

excitandum esse suadet. Et PUZOS *k*) vomitum, si gravidae illo deficiente in languorem, aliumve, quo antea non laborassent, morbum inciderent, restaurandum esse, ut remedium a natura sapienter institutum, auctor est. Quid? quod facile princeps inter obstetriciae artis peritos Londini, DENMANN, usu radicis Ipecacuanhae, matutino tempore exhibitae abortum feliciter saepius praecavisse in feminis, quae aliis vicibus gravidae vomitu vexatae fuerant, compertum habui. Cui convenit id quod PRIMEROSIUS *l*) ait: "Prodest in principio vomitus, evacuatis caussis morbificis, tandemque sponte cessat. Neque statim sistendus. Quin potius, si laboriosus sit, iuvandus erit Decocto Hordei aut Raphani cum Oxymelle et Oleo, quin etiam interdum Infuso Antimonii: Sic enim vacuata cacochymia, vomitus cessat foetusque redditur alacrior".



*k*) L. c. p. 96.
*l*) L. c. p. 253.

## § 15.

Experientia etiam nos docuit, gravidas, quae saepius in primo graviditatis stadio vomuerant, in secundo stadio et puerperio ipso melioris fuisse conditonis *m*), quam quae multum ederant neque vomuerant, simulque magna cum celeritate digesserant, ita, ut coactae fuissent maiorem ciborum copiam sumere. Cuius rei caussa facile intelligitur. Ob magnam enim ciborum assumtorum copiam alimenta superflua in ventriculo cum accumulentur, ibique tempore graviditatis facile corrumpantur, res magni momenti est, naturam per vomitum spontaneum saepe ea eiicere superflua, quae, si in ventriculo manerent, feminae nocere vel morbos efficere valeant. Qua ex caussa multi recentiores medici, imprimis DULCET, et DENMANN etc. in variis graviditatis stadiis saepe vomitoria adhi-

*m*) ETTMÜLLER de morb. mulier. Sect. VI. c. IV. art. I. dicit: quo crebrius gravidae vomunt, eo facilius habent puerperium.

adhibere, et tali modo id arte efficere, quod natura optimo cum successu plerumque vomitu spontaneo efficiat, suadent ac commendant.

§ 16.

Quanta autem vomitus modici, iusto tempore cessantis, utilitas sit ac emolumentum, tanta etiam inde oritur noxa, si iustum excedat et modum, et tempus, neque ullis medicamentis possit cohiberi. Imminent enim quae recensenda nunc veniunt mala:

1) Magna ventriculi debilitas et atonia depravataque digestio.

2) Ob ventriculi debilitatem alimenta, non bene digesta, corrumpuntur, vasa chylifera autem humores corruptos resorbent sanguinique communicant. Tali modo dyscrasia sanguinis orta corpus ad putredinem proclive existit.

3) Abortus, et quidem graviditatis tempore progresso eo magis imminet, quia

foetus.

foetus, maior ac ponderosior factus motus violentia eo magis afficitur. Eiectis enim vomitu nimio quotidie e ventriculo alimentis, mater inde valde debilitatur, neque illi ad infantis vitam sustinendam satis nutrimenti superest; ergo ipsius incrementum impeditur, uterusque, a frequentibus ventriculi motibus magna cum vehementia compressus, illum ante tempus propellere cogitur.

4) Haemoptysis interdum vomitu violento pulmones nimis fatiganti oritur *n*); uti quoque

5) Vomitus cruentus, qui dubii est eventus. Modo enim lethalis *o*), modo vero innoxius invenitur. Sic in Ephem. N. C. an. IX. et X. obs. 6. p. 43. feminae cuiusdam corpulentae annorum triginta mentio fit, quae quotidie ab initio graviditatis usque ad finem uncias octo sanguinis evomuit, sine ullo sani-

*n*) Chambon de Montaux l. c. T. I. p. 119.

*o*) Ephem. N. C. an. IX. X. p. 68.

sanitatis detrimento. Item PECHLINUS *p*) gravidam affert, quae etsi inter paucorum dierum spatium decem sanguinis libras vomitu eiecerat, nihilominus iusto tempore foetum sanum et vegetum facili nisu in lucem edidit.

6) Perpetuae illae ventriculi subversiones magnaeque agitationes, quae cum vomitu nimio coniunctae sunt, uteri relaxationem, descensum et prolapsum, herniam ventralem aut umbilicalem efficere possunt.

7) Motus convulsivi interdum etiam a vomitu violento, praesertim in primiparis, initium capiunt *q*).

8) Nisi vomitus nimius maximeque intempestivus rite cohibetur, perfacile secundum IOHNSONIS *r*) opinionem leucophlegmatia et anasarca oritur.

9) Inflammatio et sphacelus denique ventriculi

*p*) Loc. cit. lib. I. obs. 37. p. 86.

*q*) MAURICEAU Obs. sur la groſſeſſe. Obs. XXIV. CCCLXXIV. CIↃLII.

*r*) A new Syſtem of Midw. Lond. 1769. in 4. p. 105.

triculi ac intestinorum hic quoque naſcitur uti in cholera. Talem primiparam aegrotam in ipso puerperio mortuam secuit SCHULZIUS *s*), omniaque intestina flatibus distenta et per totum tractum livido et nigricante colore vidit infecta.

10) Imo per violentos vomendi conatus non solum ventriculus ac Oesophagus *t*), sed et alia viscera disrumpi possunt.

§ 17.

Quod prognosin vomitus attinet, pauca tantum monenda sunt. Gravidas, ventriculo evacuato, vomendi conatus si urgeant, seu vomitui accedat singultus, mali ominis habeto *u*). Vomitus porro frequens

et

*s*) Patholog. Spec. appendix de morb. mulier. et infant. Halae 1747. §. 57

*t*) BOERHAAVE Hiſtoria morbi atrocis et nondum descripti. Leid. 1724 in 8.

*u*) HIPPOCR. lib. VII. Aphor. 13. a vomitu, ait, ſingultus, malum.

et impetuosus, quo materia nigricans villosa seu putrida eiicitur, imminentis mortis indicium esse solet *x*). Ille autem, quo primis mensibus praegnantes laborant, minus nocet, et minus periculum minatur, ut qui media et ultima graviditatis tempora attingit *y*). Vomitu autem, qui sub partu ipso evenit, pariendi nisus adiuvari observatum invenimus *z*). Quo minus autem medicamenta adhibeantur adstringentia, eo citius saepe cessare vomitum *a*). Multo aliis magis eae gravidae vexari soleant, quae alias in vomitum pronae fuerint *b*).

*Sectio II.*

*x*) La Motte l. c. obs. 344.

*y*) Nenter l. c. Tom. 2. p. 857.

*z*) Id. l. c. et conf. supra §. 6.

*a*) Ibid.

*b*) Id. loc. cit.

# Sectio II.

## *De Caussis nauseae ac vomitus gravidarum.*

§ 18.

Nauseae et vomitus gravidarum caussas veras ( id quod in generum huius symptomatis diversitate factu haud facile est ) inquirere qui vult, distinguat primum necesse est varia graviditatis tempora; quo quidem facto apparebit non ab una eaque sola deducendum esse hoc malum caussa. Antea vero quam id quod nobis maxime fide dignum de hac re videtur, proferamus, nonnullorum tum antiquiorum tum recentiorum circa hanc rem opiniones recensere iuvat.

§ 19.

Vulgaris inter *veteres* fuit opinio, nau-

seam

scam et vomitum gravidarum originem ducere a principio quodam seminis virilis volatili ac subtili, quod facile in ventriculum penetrare ibique fermentare, et aura sua ventriculum ad vomitum irritare possit. RODERICUS A CASTRO *c*), PRIMEROSIUS *d*) et MAUBRAY *e*) cum multis aliis in eo conveniuut, ut nauseae et vomitus gravidarum caussas a sanguinis retenti vaporibus propterea derivent, quod illi vapores, tunicas oris ventriculi occupantes, primum appetitum adimant, deinde ventriculi cavitatem ingredientes nauseam vomitumque ipsum excitent. A ventriculi enim ore appetitum pendere, et in eius cavitate contenta illa concoqui, ut vel leviter tacta nauseam, fortius affecta, vomitum, interdum etiam cum dolore et cruciatu creent. Vapores autem calidos ructum nidorosum, frigidos acidum efficere. ETTMÜLLER *f*) suam

*c*) De univers muliebr. medicina. Hamb. 1628. P. 2. p. 415 sq.

*d*) Loc. cit p. 253.

*e*) The female phyſician. Lond. 1728. 8. p. 79.

*f*) Loc. cit. Sect. VI. c. IV. art. 1.

suam hac de re sententiam his fere profert verbis: Vomitus, inquit, nunc saltim primis gestationis mensibus molestus est, et partim ex vi aurae genitalis, partim ex motu humorum fermentativo, menstruo refluente oritur; nunc mediis gestationis mensibus gravius affligit, et fere ob mensium suppressionem in plus minusve cacochymicis oritur; nunc etiam ad ultimos usque gestationis menses perdurat, et modo dictas pariter agnoscit caussas, nunc vero ultimis gestationis mensibus saltim supervenit, qui antea non adfuerat, et partim ex consensu ventriculi cum utero nimis distento, partim ex irritatione ventriculi ab utero sursum nimis elato, originem ducit. JUNKER *g*) porro et NENTER *h*) aliam sequuntur sententiam; ille enim licet, inquit, familiaris hic affectus (vomitus nempe) a congestione sanguinis versus ventriculum saepius oriatur, ad diaetae tamen vitia

*g*) In Conspect. med Tab. CXII. de affect. gravid. pag. 703. sq.

*h*) Loc. cit. T. 2. p. 856.

vitia eundem revocandum putavimus, quia ventriculi vitium, intemperantia et voracitas ut plurimum occurrunt. Sic etiam NENTER nauseam et vomitum gravidarum vel a diaetae vitiis vel a congestione sanguinis versus ventriculum originem habere auctor est. DELEURYE *i*) caussam proximam uti et praedisponentem repetit a contractione ventriculi vehementiori, qua contenta per os eiiciantur. Oriri autem in primis graviditatis temporibus a concussione uteri ac ventriculi, mense autem tertio et quarto ab expansione fibrarum uteri et a plethora, sordibusque in primis viis, quibus praeterea chylus pituitosus et indigestus gignatur, mense denique octavo et nono a situ foetus caussam esse derivandam. PUZOS *k*) autem vomitum gravidarum distinguit, primum *biliosum*, matutino tempore praesertim accedentem, deinde *vomitum alimentorum*. Illum venaesectionem et potum acrimoniam bilis diluentem ac

C corri-

*i*) Loc. cit. §. 352. 353.

*k*) Loc. cit. p. 73.

corrigentem exigere, hunc venaesctionem et medicamenta leviter carminativa. III. denique HALLER *l*) persuasum sibi habet, vomitum statim post conceptionem a principio quodam seminis virilis putrido, in sanguinem transeunte ibique eundem, quem in morbis miasma putridum effectum proferente, oriri *m*). GOUBELLY *n*) vero quinque distinguit gravidarum vomitus genera I. a plethora sanguinis ortum. II. a plethora serosa. III. a diaetae vitiis. IV. vomitum biliosum. V. vomitum nervosum a sympathia nervorum ventriculi ac uteri reciproca unice pendentem.

§ 20.

Attamen missis ceterorum V. D. opinionibus, caussas nauseae et vomitus gravidarum

*l*) L. c. p. 62.

*m*) Quam ill HALLERI opinionem impugnat AITKEN in the principles of Midw. or puerp. med. ed. III. Lond. 1786. 8. p. 49.

*n*) Loc. cit. T. 2. p. 116.

rum quae nobis quidem a veritate videntur minime esse alienae, ordine exponamus.

I. *Suppressio fluxus menstrui vel plethora (partialis? ) potius a menstruis suppressis orta.*

Cessante enim post conceptionem fluxu menstruo sanguinis copia in visceribus abdominalibus augetur, indeque plethora originem ducit. Cum anatomices subtilioris cognitione edocemur, maiorem sanguinis copiam ob ipsam vasorum structuram in feminis ferri ad infimum ventrem, observatumque tum a Cel. PICCARNO *o*), tum a Io. FREYND *p*) inveniamus, Aortam descendentem in feminis praesertim esse maiorem ascendenti, satis apparere videtur, abundantia hac sanguinis in visceribus abdominis congestiones oriri ventriculum versus, turbatisque eo viscerum abdo-



*o*) Obs. de fluxu menſtr §. 24.
*p*) Emmenalog. c. IV. §. 4. p. 20.

abdominalium functionibus, ventriculum ad vomendum irritari. Nititur autem haec sententia auctoritate virorum celeberrimorum, vomitus et nauseae, de quibus loquimur, caussam a plethora repetentium, e quibus nominatim afferre sufficiat Illustr. HERM. BOERHAAVE *q*), NENTER *r*), LA MOTTE *s*), PUZOS *t*), SMELLIE *u*), MANNING *x*). Sunt quidem qui negent plethoram ex suppressis post conceptionem oriri menstruis; sanguinem enim, aiunt, abundantem, fluxu menstruum alias emissum, graviditatis tempore et ad foetum nutriendum, et ad uterum extendendum amplificandumque a natura adhiberi *y*).

Cum

*q*) In prael. acad. ed. HALLERI Gotting. 1744. T. V. P. 2. p. 560. sq.

*r*) Loc. cit. T. II. p. 856.

*s*) Loc. cit. T. I. p. 149. not.

*t*) Loc. cit. p. 73.

*u*) Treatise of Midw. p. 142.

*x*) Treatise of female diseases Lond. 1775. p. 299.

*y*) MURSINNA *Abhandl. v. d. Krankh. d. Schwangern, Gebär. u. Wöchner. 1. B. p.* 25. Etiam VAN SWITEN

I.

Cum autem in primo graviditatis tempore foetus ita parvus sit, ut secundum Boerhaavium pondus eius in fine primi mensis vix duas aequet uncias, facile apparet, sanguinis copiam esse maiorem, quam pro magnitudine consumere possit foetus. Neque uterus in initio graviditatis dilatandi caussa multam requirit sanguinis copiam.

§ 21.

Inter caussas autem vomitus gravidarum plethoram etiam, e suppressis menstruis in visceribus abdominalibus ortam, esse recensendam, ex sequentibus apparet rationibus:

1. Experientia docet feminas corpore va-



l. c. T. 4. p. 462. nauseam ac vomitum gravidarum plethorae adscribi non poſſe contendit, quod in gravidis oculi potius contracti et cavi, albumque lividum appareat, cum in plethoricis oculi potius promineant et vasa rubra in albo appareant. In multis praeterea gravidis faciem inveniri pallidam et contractam, nauseamque ac vomitum saepe mox poſt conceptionem, antequam plethora augeatur, adeſſe.

lido et temperamento sanguineo praeditas, cum ante graviditatem fluxum menstruum abundantem habuissent, in graviditatis tempore imprimis vomitu affici.

2. Saepius observatum est, etiam virgines z) et feminas non gravidas *a*), puellas chloroticas, suppressis menstruis mutataque inde sanguinis circulatione, gravidarum instar, vomuisse.

3. Adsunt exempla, gravidas sanguinem purum vomitu eiecisse *b*).

4. Vomendi consuetudo dimidium graviditatis tempus raro superat. Crescente enim foetu maior sanguinis copia cum absumatur, vomitus caussa tollitur.

5. Venaesectionem denique cum intelligamus a pluribus auctoribus vomitus tollendi medelam habitam esse optimam, eo ipso apparet, in plethora vomitus caussam interdum esse quaerendam.

§ 22.

z] Cf BOERHAAVE l c.

*a*] FR. HOFFMANN in med Consultatoria T. XI. p 363.

*b*] Ephemer. N C Dec. II. an. IX. X. HAGENDORNII Obs. et Hiſt. med. p. 275. hiſt. 96.

§ 22.

Signa itaque, quibus docemur, plethoram caussam esse praecipuam vomitus illius, de quo agitur, haec sunt:

1. Si vomitus non illico post conceptionem, ubi caussa plethorae adhuc deest, sed suppressis prima vel secunda vice post conceptionem menstruis, gravidas affligit.
2. Vbi gravida corpore gaudet valido ac temperamento sanguineo.
3. Cum gravida ante gestationis tempus fluxu menstruo profuso et largo affecta esse soleret, et
4. Vomitus in dimidia graviditate cesset.
5. Si reliqua plethorae adsunt signa v. c pulsus durus, facies inflata ac rubra, oculi splendidi cet.

§ 23.

Plethoram autem, etsi vomitus gravidarum praecipue qui in primis gestationis men-

sibus illas affligere solet, caussa praecipua et frequentissima sit, unicam habere nolim. Cum enim gravidarum aliae nullo corporis robore aut sanguinis abundantia gaudentes, aliae statim post conceptionem ipsam, ubi plethora a sanguinis menstrui suppressione nondum existit, vomere incipiant, praeter primam illam, altera adhuc nauseae et vomitus caussa iure afferri debet:

II. *Insignis uteri et ventriculi sympathia.*

Tanta autem harum partium in nonnullis feminis est sympathia, tantusque consensus multifariis occasionibus e. g. Sectione Caesarea, Inflammationibus uteri etc. quam maxime conspicuus, ut solo coitu vomitum oriri posse exemplis constet *c*). Anatomiae periti enim satis cum doceant, nervum intercostalem non in ventriculum solum, verum etiam in uterum ramos dispergere suos,

eo

c] La Motte l. c. p. 150.

eo ipso horum viscerum praeparatur consensus. Utero itaque in gravidis expanso, nervisque pro natura huius visceris irritabili intentis, dolores existant necesse est, qui ad ventriculum propagati illum ad vomendum irritent. Sic experientia etiam satis constat, consensu nervorum aliarum corporis partium cum ventriculo, concussis aut laesis illis partibus v. c. capite intestinisve, nauseam et vomitum excitari. Inter tot autem viros, qui caussam vomitus gravidarum in consensu illo quaerunt, nominasse sufficiet Cel. MAURICEAU *d*), LA MOTTE *e*), CHAMBON DE MONTAUX *f*), MANNING *g*), GOUBELLY *h*).

§ 24.

*d*) Traité des malad. des femmes groſſes T. I. p. 129.

*e*) Loc. cit T I. p. 150.

*f*) Loc. cit T. I p. 116.

*g*) Loc. cit. p. 299.

*h*) Loc. cit. T. I. p. 145.

§ 24.

Qui in primis post conceptionem diebus gravidas affligit vomitus, praecipue ab hoc nervorum derivandus est consensu *). Cum enim feminae nonnullae, ante conceptionem valetudine optima gaudentes, ubi ex amplexu mariti dimittuntur statim vomere cogantur, id quod a plethora, quae tum fere nulla est, caussam ducere nequit, verisimillimum mihi videtur conceptionis momento in visceribus abdominalibus per consensum nervorum uteri cum nervis ventriculi et aliorum viscerum abdominis, spasmum effici, quo in feminis praesertim nervosis vomitus ille oriatur.

§ 25.

Consensus ille uteri cum ventriculo in gravi-

*) Sic etiam iſte vomitus e consensu in altero graviditatis ſtadio a motu foetus, nimia vi versus ventriculum pedibus pulsantis, interdum oriri po Steidele l. c. p. 32.

gravidis imprimis debilioribus, delicatulis ac passione hysterica laborantibus caussa vomitus est; id quod ex eo magis adhuc apparet, quod irritamentis foetus ac uteri expansi graviditatis tempore hysteria augetur.

§ 26.

Statum autem gravidarum hystericum vel nervosum ex his cognoscimus signis:

1) Si femina iam ante graviditatem passione hysterica laboraverit.

2) Si corpore sit debili ac molli.

3) Si tempore matutino ieiuna adhuc neque vestibus induta vomat.

4) Nonnisi materiam aquae purae similem vomitu emittat.

5) Si Symptomata hysterica ante graviditatem menstrui fluxus tempore affuerint frequentiora ac vehementiora, et

6) Plethorae signa omnino nulla adsint.

7) Vomitus post parvam venaesectionem, experimenti gratia institutam augeatur.

8) Si alia adsint symptomata hysterica, urina alba, pallida, borborygmi ventris, cet.

§ 27.

III. *Tertia denique nauseae ac vomitus gravidarum caussa saepissime quaerenda est in primis viis.*

Spasmis enim in visceribus abdominalibus, et graviditatis irritamine, et uteri expansione, et consensu nervorum ortis, acrimoniae sordesque facile gignuntur. Circulatione porro, graviditatis tempore in abdomine turbata, stagnationes et acrimoniae in primis oriuntur viis, quibus viscera digestionis irritantur, et contenta per os eiicere coguntur. Accedit, ut tot diaetae vitia a gravidis committi soleant, dum aliae cibos insolitos, ventriculo inimicos, avide appetant, aliae ciborum nimie sumtorum copia ventriculum onerent, quo cruditates in ventriculo accumulentur, quae

naturae

naturae praeclara ope vomitu eiiciantur. Sic et cel. IUNKER *i*) nauseae et vomitus gravidarum caussam a diaetae vitiis repetendam esse censet.

§ 28.

In primis autem viis caussa nauseae vomitusque praecipue quaerenda est,

1) Si in fine oriantur graviditatis. Vteri enim moles maximam abdominis partem tum occupans, ventriculo ac intestinis compressis, efficit, ut faecium per canalem intestinalem iter impediatur, eaeque in ventriculo accumulatae indurentur, tunicasque ventriculi ad vomitum irritent.
2) Si feminae iam ante graviditatem vitiis digestionis saepius laboraverint.
3) Ad iram proclives si sint.
4) Cetera sordium in primis viis symptomata, lingua sordida, sapor oris amarus,

*i*) Loc. cit. p. 703.

rus, appetitus deletus, capitis dolores, borborygmi, cet. si adsint.

§ 29.

Hoc autem vomitus genus, caussa gastrica ortum, frequentius pertinaciusque esse solet illo a plethora seu sympathia nervorum derivando. Graviditas enim non irritat solum viscera digestionis, verum etiam sordes in primis viis, quae eo ipso irritamento, eo magis accumulantur.

§ 30.

Sordium autem graviditatis tempore vomitum efficientium genera varia sunt, vel biliosa, vel acida, vel pituitosa, vel putrida, quae et colore et sapore odoreque facile distinguuntur. Praecipue autem vomitum excitant sordes biliosae, gravidarumque ventriculum onerant. Plexus enim abdominales cum graviditatis tempore praecipue irritentur, accelerato sanguinis in

Vena

Vena Portae motu, bili magnam eius afferunt copiam. Vena enim Porta ac Hepatica sanguine abundans, ramorum suorum auxilio secretionem bilis efficit abundantem, ita ut vesicula fellea valde dilatetur. Truditur autem bilis spasmo, graviditatis tempore musculis et visceribus abdominalibus haud insolito, e vesicula fellea, et maiori copia in ventriculum effusa vomitu inde eiicitur. Accedit quod gravidae pleraeque ad iracundiam, qua bilis copia maior effunditur, proclives inveniuntur.

§ 31.

Hoc vomitu bilioso gravidae praecipue affligi solent, quibus a natura temperamentum est irritabile ac biliosum, animique motibus, moerore imprimis ac ira, facile afficiuntur.

§ 32.

Vomitus biliosi signa, quibus et hoc

genus,

genus, de quo loquimur, cognosci potest, secundum GOUBELLY *k*) haec sunt: Gravida melancholia, ira curisque domesticis, aliisve anxie turbari solet, cibi potusque desiderio nimis indulget, pulsus est frequens ac durus, facies rubra, uterus contractus spasmo veluti affectus. Accedit, quod color materiae eiectae flavus ac viridis, et sapor materiae, que transitu per os acredinem linguae imprimit, dentesque hebetat, acer, signa certa sunt vomitus biliosi.

§ 33.

De caussis itaque nauseae et vomitus gravidarum enarratis apparet, alias esse idiopathicas, alias sympathicas, ita inter se diversas, ut illae a ventriculo ortae, hae autem a plethora, nervis concussis, utero expanso, situ denique foetus originem ducant.

*Sectio*

*k*) Loc. cit. T. I. p. 146.

# Sectio III.

## *De curatio nauseae et vomitus gravidarum.*

§ 34.

Anteaquam de curatione nauseae ac vomitus gravidarum ipsa disserere possim, de diaeta, qua malum illud, ubi quidem malum est, valde minuitur, nonnulla praemittenda sunt. Ponant autem gravidae necesse est potus cibique desiderio modum iustum; cibos capiant appetitui convenientes, nutriendo aptos, concoctu haud difficiles ac subacidos; abstineant a dyspeptis, e quibus cruditates oriuntur; praecipue autem fugiant carnium, earumque pinguium, nimis gravia alimenta, dulcia porro nutrimenta, quibus membranae ventriculi, vomitu iam debilitatae ac laxatae, humectantur emolliunturque; flatulenta denique et

acria, salibus vel aromatibus abundanter mixta. MAURICEAU *l*) itaque cibos gravidis saluberrimos praescribit hoc: "Pultem, ex farina hordei mundati seu tritici, antea in clibano tosti, admixto Ovi vitello, factam. Refrigerandi caussa sumendum esse Cydoniacum et Baccas Ribes. conditas„. GOUBELLY *m*) gravidis praedicat Panatellas, Oryzam, Gelatinam Cornu Cervi et Ribes., iusculum ex pauca carne vitellina, mixtum cum Lactucae et Carottae quantitate parva; lacte autem, caseo, butyro et carnibus abstineant. Ad corroborandum ventriculum cibi miscendi sunt cum citris, aurantiis, vino vel aceto vini. Sumant praeterea gravidae tempore matutino poma matura, vuas, cet., seu his deficientibus cerasa condita, cydonia, Ribes.. Melius denique est gravidas, in ultimo praesertim graviditatis tempore, alimenta non nimia copia semel, sed diversis temporibus saepius potius sumere, eaque

*l*) Loc. cit. T. I. p. 130.
*m*) Loc. cit. T. I. p. 152.

que frigida et sicca magis quam calida humidaque. Prodest etiam ante prandium panis frustum torrefactum vinoque bono madidum sumere *).

§ 35.

Potus gravidarum bonum sit vinum, vetustum *n*), meracum, vel aqua bonae indolis, gypso sordibusque carens, mixtum; quam partibus depravatis noxiisque si mixta sit, ferro calefacto immisso depurare suadet MAURICEAU *o*). Potus *Caffeae* **), *Cho-*



*) ASTRUC l. c. T. V. p. 267. ait: Si elles (les femmes groſſes) vomiſſent beaucoup et qu' elles prennent peu de nourriture, on leur donne pour les soutenir quelques cuillerées de Vin d' Alicante avec un peu de biscuit.

*n*) Mauriceau l. c. T. I. p. 131. vinum rubrum albo praefert.

*o*) Loc. cit. p. 131.

**) PUZOS l. c. p. 75. ait: On a quelquefois arreté le vomiſſement avec du Caffé à l' eau, dans le quel on met une cuillerée d' éau de fleurs d' orange.

*colatae* *) et cerevisiae levis gravidis, si quidem illi assuefactae sint, minime nocet. DEIEURYE *p*) lac aqua mixtum, aquam chalybatam cet. gravidis praedicat. MANNING *q*) earum potum miscendum esse, ait, cum moderata quantitate acidorum blandorum vel vini albi. MAURICEAU *r*) autem cochlear dimidium Spiritus Vini, vel vini Hispanici nonnihil, nauseam ac vomitum saepius sustulisse auctor est. Attamen in gravidis calidae temperiei et plethoricis non nisi venaesectione plethora imminuta, haec calidiora adhibenda esse persuasum mihi habeo. Cl. FOSTER *s*) nauseam et vomitum illius potus, quem Angli

*) Cf LA MOTTE l. c. T. I. p. 152. : On trouve quelquefois sa guérison dans le Chocolat de santé. Cui etiam aſſentiunt PUZOS l. c. p. 75. et ASTRUC l. c. T. V. p. 267.

*p*) Loc. cit. §. 358.

*q*] Loc. cit. p. 304.

*r*) Loc. cit. T. I. p. 131.

*s*) V. STARKE's *Archiv. f. d. Geburtshülfe. Frauenz. u. neugeb. Kinderkrankh. Erſtes Stück. Ien.* 1787. p. 130.

gli vocant *Punch*, quantitate nonnulla haurienda tolli vult, id quod minime convenientissimum videtur esse remedium. Potus autem cui nomen dant *Bischof*, poculum gravidis interdum praebere, potius nobis videtur. Potum aquae purae temperatae imprimis praedicat Ill. FR. HOFFMANN *t*) eoque sanitati optime consuli consuli censet. Sic etiam LA MOTTE *u*) vomitum in quinto graviditatis mense crebrum, hausto aquae fontanae frigidae poculo sedatum esse testatur. Etiam PUZOS *x*) vomitus sedandi remedium esse unum vel duo aquae seu *Limonadae* pocula tradit. Cui autem merae aquae potus displicet, addat nonnihil Syr. Berber., Ceras. acid. vel Flor. Tunicae, unde gratum et colorem et saporem accipiet aqua.



*t*) In Med. Rat. T. IV. c. 9. p. 642.

*u*) Loc. cit. T. I. p. 502.

*x*) Loc. cit. p. 75.

## § 36.

Aer impurus, cum nauseam et vomitum excitare soleat, a gravidis fugiendus; aere autem puro *y*), neque nimis frigido neque nimis calido, temperato immorentur. Omnino autem caveant, ne partes inferiores abdomenque refrigerio afficiantur, quod itaque hiemali praesertim tempore, vestibus seu tunicis frigori arcendo satis aptis *z*), e regione ventriculi praecipue, qui calore inde accepto, eo melius concoquit, tegant necesse est.

§ 37.

*y*) DELEURYE l. c. §. 358. dicit: Je connois des femmes qui ont été guérie de vomiſſemens cruels, en allant respirer l'air à la campagne.

*z*) Sit illa seu veſtis lanea villosa, seu pellis vel agni vel cygni. *Mauriceau* optimam vult eſſe cutem vulturinam et ipsam ad ventriculum roborandum digeſtionemque adiuvandam imprimis aptam. Ad eundem finem *Oſiander* fasciam peculiarem commendat Vid. *Beobacht. Abhandl. und Nachr., welche vorzüglich Krankh. d. Frauenz. u. Kinder. u. die Entbindungswiſsensch. betreffen. Th. 1. p. 157. Tübing. 1787.*

§ 37.

Otio nimio, quo ipso sordes in primis viis accumulantur, praestant corporis agitationes modicae et motus ita ut vehementiores omnino evitentur. Vestes autem arctiores, quibus uterus, ventriculus et reliqua viscera comprimuntur, eoque ipso nausea et vomitus excitatur, quam maxime sunt fugiendae. In vomitu autem ipso situm corporis horizontalem optimum esse observavit PUZOS *a*), qui novit gravidas, quae non vomuerunt, dum lecto manerent. Cum gravidis optime agetur, si vigilandi et somniandi modum teneant iustum, animum a motibus nimis vehementibus, irae praesertim et moestitiae, servent liberum; si excrementorum et retentorum ratio habeatur iusta, ita ut ad alvi obstructionem inclinantibus clysma leniens interdum applicetur. Saepe etiam leni interdum adhibito laxamento v. c. ex gr. viij. - xv. pulv.

 Rhei,

*a*) Loc. cit. p. 75.

Rhei, corporisque motibus vomitui occurri poteſt. Sed haec hactenus; de curatione ipsa iam verba faciemus.

§ 38.

Cum omnes fere auctores, uti ſupra propoſitum fuit, eo conveniant, ut vomitus moderatus in tribus geſtationis primis menſibus, ut ventriculi levamen a natura bene conſtitutum, minime noxius ideoque non tollendus ſit, praeſertim cum plerumque ad finem tertii menſis ſponte ceſſare ſoleat; intelligitur, nos nonniſi de curatione vomitus nimia violentia et diuturnitate noxii verba eſſe facturos. In variis autem huius morbi cauſſis, varia etiam medelae adhibenda eſt ratio. Inconſulte enim ab empiricis vulgo agitur, ut nulla cauſſarum morbi habita ratione venaeſectionem vel opiatum vel leniter purgans remedium omnino gravidis ſummo ſepius cum damno commendent praedicentque. Habent quidem illa remedia et ſua bona, ita ut caute adhibita

hibita optimis respondeant successibus; id quod neglectis vomitus et caussis et temporibus si temere adhibeantur, exspectari nequit. Caussis autem vomitus bene antea cognitis, secundum indicationem iustam malum aut omnino tolli, aut levari saltem potest. Sunt autem, uti supra demonstratum est, tres praecipue vomitus gravidarum caussae, de quarum singularum curatione sedulo nunc agemus.

§ 39.

I. *De cura nauseae ac vomitus a plethora.*

Ex signis supra § 22. allatis si intelligimus, plethoram et sanguinis versus ventriculum congestionem nauseae et vomitus esse caussam, prout fieri possit, illam minuere necessarium ducitur; id quod *venaesectione* optime ac celerrime efficitur.

§ 40.

Etsi vanaesectio optimum sit remedium, a gravidis tamen nonnullis sub primis praecipue gestationis temporibus fugi solet, quod alimento foetui ademto et ipso inde debilitato, abortum effici persuasum sibi habeant. Quid? HIPPOCRATES ipse idem hoc affirmat de venaesectione in ultimis graviditatis mensibus *b*). Ex scriptis autem veterum cum intelligamus, illos vena aperta II. III. imo IV. libr. sanguinis ad animi deliquium usque emisisse, HIPPOCRATIS sententiae fides constat. Venaesectione autem modice facta, sanguinis foetui nutriendo satis remanet, neque abortus timendus; imo vero experientia docet, venaesectione in plethoricis abortum impediri.

Apud

*b*) Aphor. Sect. V. 31. Mulier utero gerens, sanguine miſſo e vena, abortit, et praecipue si foetus sit grandior. Inter recentiores etiam *Saucerotte* Inſtructions concernant les femmes enceintes, cet à Strasb. 1782. p. 7 venaesectionem gravidis, quae cibos nauseant, captisque alimentis vomunt, noxiam habet.

Apud plures etiam auctores exempla inveniuntur venaesectionum singularia in graviditate sine omni noxa large cum magna sanguinis effusione factarum. MAURICEAU c) enim duarum feminarum fecit mentionem, quarum altera eiusdem graviditatis tempore venaesectiones quadraginta octo, altera nonaginta experta nihilominus iusto tempore foetum peperit sanum.

## § 41.

Omnes fere et artis medicae et obstetriciae periti eo consentiunt, ut *venaesectionem*

c) Loc. T. I. p. 127. Huius rei exempla plura adhuc in promtu sunt. cf. A. N. C. Dec. III. an. IX. obs. 19. gravidam, venaesectione in unoquoque mense repetita partum feliciter edidiſſe. Porro *Zac. Lusit* P. A. Lib. 2. obs. 145. narrat, gravidam angina oppreſſam, venaesectione septies quotidie inſtituta eſſe sanatam; de alia, venaesectione saepius repetita feliciter parturienti cf. eundem l. c. obs. 144. De gravida, cui venaesectiones in eadem graviditate quadraginta novem adhibitae v. VAN DER WIEL Obs. med. sing. Cent. I. Obs. 66. cet.

*nem* ad vomitum gravidarum tollendum optimum idque cum diaeta iuſta coniunctum ſufficiens iudicent remedium. Imprimis illam nobis valde commendant RODERICUS a CASTRO *d*), PRIMEROSIUS *e*), ALLEN *f*), WILLIS *g*), CAMERARIUS *h*), MAURICEAU *i*), ASTRUC *k*), ETTMÜLLER *l*), STORCH *m*), HERM. BOERHAAVE

*d*) L. c. P. II. pag. 418.

*e*) L. c. pag. 257.

*f*) In praxi pag. 759.

*g*) Pharm. ration. Sect. II. c. 3.

*h*) De vomitu gravid. Tubing. 1682.

*i*) L. c. T. I. p. 132. et T. II. obs. 24. 99. et multis aliis locis Venaeſectionem in ſecundo menſe iam inſtituendam eſſe propterea cenſet, quod foetus parvus ſanguinis abundantiam couſumere non valeret, ideoque ſanguinem ſuperfluum eſſe detrahendum. Veteres contra venaeſectionem in mediis menſibus graviditatis inſtitutam propterea illi in primis menſibus praeferebant, quod in teneritate illa foetus, commotione et agitatione ſanguinis a venaeſectione orta, abortus facillime effici poſſit.

) L. c. T V. p. 267.

*l*) L. c Sect. VI. C. IV. art. I.

*m*) L. c. caſ. 59.

VE *n*), BURTON *o*), EXTON *p*), SMELLIE *q*), MANNINGHAM *r*), PUZOS *s*), LEURET *t*), LA MOTTE *u*), IOHNSON *x*), HAMILTON *y*), CHAMBON DE MONTAUX *z*), aliique.

§ 42.

Cel. ASTRUC *a*) venaesectionem in eius temporis intervallis, in quibus menstrua extra graviditatem acciderant, instituendam esse censet; hoc enim tempore secundum certam naturae legem sanguinem maiori quan-

*n*) In aphor. de cogn. et cur. morb. p. c.
*o*) Eſſays of Midw. Lond. 1751. p. 149.
*p*) A ſyſtem of Midw. Lond. 1753. p. 21.
*q*) Treatiſe of the theorie and practice of Midw. ed II. Lond. 1735. p. 143.
*r*) Aphoriſm. med. Lond. 1756. p. 73.
*s*) L. c. p. 76.
*t*) L'art d'accouchement. Paris 1761. §. 1122.
*u*) L. c. T. I. p. 159.
*x*) L. c. p. 105.
*y*) L. c pag. 111.
*z*) L. c. T. I p. 123.
*a*) L. c. T. V. p. 249.

quantitate ad uterum effluere maioresque commotiones ac turbas excitare. Cuius viri Cl. consilium, quantum fieri potest, sequi optimum videtur. IOHNSON *b*) venaesectionem in hebdomade ante secundam periodum fluxus menstrui adhibere, eamque nonnullis diebus ante proximam mensium periodum et sic tertia vice vel saepius, si symptoma nauseae ac vomitus requirat, repetere suadet. Tali modo etiam MANNING *c*) venaesectionem periodo fluxus menstrui quamproximam optimam efficacissimamque iudicat. Attamen, si vomitus vehemens aliaque symptomata venaesectionem necessario requirant, adhibeatur illa sine omni temporum ab illis auctoribus praescriptorum habita ratione.

§ 43.

Quantitas sanguinis detrahendi varie ab aucto-

*b*) L. c. p. 105.
*c*) L. c. p. 303.

auctoribus constituitur. LA MOTTE *d*) MANNING *e*), IOHNSON *f*) venaesectionem unc. vi-viii. optimam ducunt. EXTON *g*) autem in vomitu violenti, extrahatur, ait, sanguis ex brachio ad unc. viii. ASTRUC *h*) venaesactionem vult unc. viii-ix. STORCH *i*) venaesectiones unc. ix-x, imo in robustis gravidis unc xii. instituendam esse tradit, cet. Sanguinis autem e vena emittendi quantitas omnino non secundum praecepta generalia constitui potest, sed potius cum virium, tum constitutionis et vitae generis gravidae, conditionisque fluxus menstrui ante graviditatem, gradusque plethorae ratio semper habenda est. Parva itaque sit venaesectio in feminis non sanguineis, magna in plethoricis, vitam sedenta-

*d*) Loc. c. obs. 39.
*e*) L. c. p. 303.
*f*) L. c. p. 105.
*g*) L. c. p. 21.
*h*) L. c. T. V. p. 267.
*i*) L. c. cas. 48. 69.

dentariam gerentibus et extra statum graviditatis menstrua largiora habentibus. Porro primis mensibus plus sanguinis licet detrahere, quam mediis vel ultimis; quod si tamen necessitas urgeat, etiam ultimis ac mediis larga copia effundi debet. Melius tamen atque cautius agitur, sanguinis venaesectione effundendi copia si moderatur, ita ut potius venaesectio variis temporibus repetatur, quam semel nimis larga instituatur. Cel. itaque LA MOTTE *k*) dicit: " melius est in minori, quam in maiori quantitate peccare ad ea pericula evitanda, quae multis medicis acciderunt, qui alio modo hoc remedio usi sunt". Interea in plerisque casibus venaesectio unc. v-vi. non erit noxia, et, si violentia vomitus prima venaesectione non minuatur, repeti debet.

§ 44.

Quod attinet locum quo venaesectio instituatur,

*k*) L. c. T. I. p. 158.

instituatur, plerique celeberrimorum artis obstetriciae virorum, ut EXTON, SMELLIE, MAURICEAU, LA MOTTE, PUZOS, ASTRUC, IOHNSON et multi alii brachio venam secare iubent, timentes, ne venaesectione in pede instituta menses moveantur, abortumque feminae patiantur; quibus etiam assentiunt PRIMEROSIUS, FERNELIUS et multi alii. FERNELIUS enim dicit: „ Inferiores praegnantium venas incidere minime tutum, quod impetu deorsum converso, menses procedant, praecipiteturque foetus „. Sic et PRIMEROSIUS *l*) cavendum est, ait, a sectione venarum inferiorum, quae menses movent et ideo foetum deturbare possunt. Quid? veteres venaesectionem in pede institutam ita abhorrebant, ut innupta, propter mensium obstructionem venam pedis sibi aperiri quae voluisset, in suspicionem graviditatis quin adduceretur nullum dubium esset. Cautum itaque legibus ipsis erat, innuptae vena pedis ne aperiretur.



*l*) L. c. p. 257.

§ 45.

Venaesectio autem illa in pede instituta nullo iure ab auctoribus illis noxia gravidis ac periculosa iudicatur *m*). Primum extra graviditatis tempora saepius in pede instituta venaesectio menstruis retentis inter cetera remedia pellentia frustra adhibetur, ita ut menstruorum obstructio minime tollatur. Deinde nonnullae deprehenduntur gravidae, quarum in ipsa graviditate menstrua, eaque large fluentia, abortum minime efficiunt *n*). Experientia denique nos docet, venaesectiones in pede institutas abortum minime efficere, cum a feminis, quae concubitu illegitimo conceperant, ad foetum enecandum usque ad animi

*m*) V HOIELSINI Diſſ. de Venaesectionis in pede gravidarum usu tuto et salubri. Halae 1724.

*n*) V MAURICEAU l. c. cap XX. p. 155. Alia huius generis exempla invenimus apud REIER Camp. elys. iuc. quaest. p. 1072. 1073. 1079 item A. N. C. Dec. I. an. X obs. 29. HORST. obs. sing. P. 2. lib. I. p. 67. 74. 80. 81. BARTOLINI Act. Hafn. c. 3. BLEGNY Zodiac. gal. an. 1680. Iul. obs. I.

animi deliquium ipsum frustra sint adhibitae *o*). Plura praeterea apud diversos auctores exstant exempla, quibus illius venaesectionis noxa non solum refellitur, verum etiam eius usus in graviditate celebratur. Sic STORCH *p*) affirmat, se per viginti annorum tempus venaesectionem pedis vulgo, praecipue autem in illis, quae ante graviditatis tempus fluxum menstruum habuerant haud largum, cum successu adhibuisse. Cel. etiam ASTRUC *q*) optimo cum successu tempore graviditatis venaesectionem pedis bis instituit *r*).



*o*) Saucerotte l. c. p. 8. sq itaque dicit: Certainement, si la saignée du pied étoit auſſi fatale aux femmes enceintes que le public se le persuade, les hôpitaux des enfans trouvés ne seroient pas si peuplés, qu'ils le sont.

*p*) L. c. Cas. 69.

*q*) L. c p 249.

*r*) Imprimis autem venaesectionem pedis magna laude afficit Cel. DELEURYE; dicit enim l c § 359. C'eſt la saignée du pied dont il faut faire usage, si la femme eſt sur tout pléthorique et sanguine; elle m'a conſtamment réuſſi, apres l'avoir fait précéder de saignées blanches et de Lavemens.

§ 46.

In quibusdam gravidis venaesectio pedis non solum innoxia, sed etiam necessaria est, gravida praesertim morbo tali laborante, qui venaesectionem in partibus inferioribus postularet. Sic e. g. congestiones ad cerebrum, apoplexia sanguinea, convulsiones, respiratio difficilis ex sanguinis abundantia in pulmonibus, inflammatio, sanguinis ex ore et naribus eruptiones reddunt venaesectionem in pede valde necessariam.

§ 47.

Memoratu adhuc dignum est, veteres non solum, sed recentiorum nonnullos ad minuendum hunc statum plethoricum cucurbitulas, scarificationes, fonticulos, hirudines ac vesicatoria laudasse.

## § 48.

### II. *De cura nauseae et vomitus a caussa nervosa.*

Inter caussas nauseae ac vomitus gravidarum consensum nervorum uteri ac ventriculi referendum esse, supra demonstravimus. Cum autem in hoc casu irritamentum nervosum caussa sit primaria eaque praecipua, *antispasmodica* imprimis indicata sunt. Quod si autem Plethora caussa principalis vomitus esse videatur, status ille nervosus in subiectis nervosis semper cum caussa praecedenti coniungi solet; quam ob rem in hoc casu usum remediorum antispasmodicorum venaesectio parva praecedere debet. Cuius curationis in plerisque casibus efficacior meliorque eventus sperandus est, quam si antispasmodica et reliqua remedia, nulla antea facta venaesectione, adhibeantur.

## § 49.

In magno numero eorum remediorum, quae in materia medica sub nomine Antispasmodicorum veniunt, in hoc vomitus genere imprimis efficacissima laudanda sunt sequentia:

*Primum remedia interna:*

1) *Infusiones*, ex Floribus Chamomillae, Foliis Melissae, Veronicae, Seminibus Foeniculi, Anisi, Coriandri cet. Quorum unum vel alterum ab aegra quotidie matutino tempore sumendum est *s*). Exton *t*) et Manning *u*) frequentem laudant usum Aquae Menthae calefactae, cum sacharo dulcefactae, et parvas

*s*) Puzos l. c. p. 75. dicit: On calme encore ces efforts (du vomiſſement) avec une boiſſon prise à iêune, telle que du thé leger avec un peu de fleurs de ſafran, quelques taſſes de l'infusion de fleurs de Chamomille, de petite Centaurée où de quelque autre plante un peu amére.

*t*) L c p. 21.

*u*) L. c. p. 300.

parvas quantitates Spir. Lavend. compos. cum vino. Exton imprimis praescribit in vomitu gravidarum Haustrum sequentem:

℞. Aquae Menth. S. drach. vi.
Sal. Absynth. gr. xv.
Succ. Limon. drach. vi.
Elix. Vitriol. acid. gutt. vi.
Spirit. Menth.
Tinct. Aromat. aa. drach. β.
Syrup. Limon. drach. ii.

M. f. Haustus, sumendus sexta quaque hora.

Goubelly *x*) sequentem mixturam, vix tamen ob nimiam remediorum farraginem laudandam, praescribit:

℞. Aquae destill. Lact.
— — — Portul.
— — — Rosar.
— — — Papav. errat. aa. drach. vi.
Menth. Crisp.

 Aina-

*x*) L. c. P. I. p. 151.

Cinamom. aa. drach. ii.
Liqu. anod. min. Hoffm.
Laud. Liqu. Sydenh. aa. scrup. i.
Syrup. de Nymphaea
— de Karabe
— de Berber. aa. drach. iv.

M. et sum. quavis secunda hora cochlear unum.

2) *Vina oleosa meraca*, si dentur non nimia copia, multum levaminis afferunt, et imprimis a Cel. MAURICEAU *a*) et VAN SWIETEN *b*) laudantur.

3) *Liquor anodynus mineralis Hoffmanni*, de quo guttae triginta ad quinquaginta saccharo instillatae matutino tempore si sumantur, secundum auctorum plurium testimonia optimo respondent eventui.

4) *Spiritus Cornu Cervi*, quem Cl. CHAMBON DE MONTAUX *c*) efficacissimum ac certissimum et spasmorum, et vomitus

*a*] L. c. T. I. p. 131.
*b*] L. c. T. IV. p. 464.
*c*] L. c. T. I. p. 110.

mitus gravidarum tollendi habet remedium, ut liquor anodynus mineralis Hoffmanni et Aether, non tam certum profert effectum. Dari potest eo modo, quo laudatus CHAMBON DE MONTAUX loc. c. praescribit, nempe Spiritus Cornu Cervi gutt. x-xii in Infuso Theiforme Florum Tiliae, Primulae veris cet. cum saccharo vel syrupo quodam grato.

5) *Pulvis Radicis Ipecacuanhae* in refractis dosibus ad granum dimidium usque unum, sacharo immixto, pro viribus antispasmodicis, et ad vomitum gravidarum, ab irritamento ortum, tollendum, remedium est efficax. ASTRUC *d*) Pulveris Radicis Ipecacuanh. granum unum cum Theriacae granis viginti vel viginti quatuor mane sumendum esse censet.

6) *Potio Riveri* ex Salis Absynthii drachma una (seu eius loco, cum nimio pretio

*d*) L. c. T. V. p. 267.

pretio veniat, Cineres clavellatae vel Sal Tartari purissimi), cum s. q. succi Citri saturata, quam sub effervescentia ipsa aegra haurire debet. Hoc modo Cl. MURSINNA *e*) affirmat, nonnullas gravidas vehementissima nausea ac vomitu, per quatuordecim dies continuante esse liberatas. Etiam Ill. MANNING *f*) nihil magis prodesse contendit ad sedandas motiones ventriculi convulsivas in vomitu gravidarum, hoc anti-emetico Iulapio:

℞. Salis Absynthii drach. i
Succ. Limon. q. s. ad saturationem
Aquae Cinam. simpl. unc. iii
Sacchar. puriss. drach. i

M. et sumantur circiter duo vel tria cochlearia huius compositionis prima vice, et unum cochlear quavis hora, vel dimidia hora pro casuum varietate, donec vomitus cesset.

Idem-

*e*] L. c. p. 87.
*f*] L. c. p. 300.

Idemque addit l. c., vim huius medicinae vel maxime augeri, si ad quantitatem mixturae praescriptam addantur drachmae duae vel uncia dimidia Tincturae Cinamomi, aut si huius Tincturae guttae viginti usque triginta, vel etiam plures cum quavis singulari dosi superioris Julapii sumantur. Cel. IOHNSON *g*) in eodem consilio hanc praescribit mixturam:

℞. Succ. Limon. drach. ii.
Salis Absynth. q. s. ad plenam saturationem.
Pulv. e Chelis Cancror. comp. drach. ii.
Aquae purae unc. iv.
— Menth. spirit.
Syrup. simpl.
singulorum unc. i.

M. f. mixtura, de qua sumantur cochlearia tria vel quatuor quotidie tribus vicibus vel saepius, si nauseae et vomitus necessitas urgeat.

Etiam

g] L. c. p. 107.

Etiam Parens optimus, per viginti quinque annos Revaliae praxin medicam exercens, saepissime vomitum gravidarum Potione Riveri brevi tempore sedavit.

7) Quod si omnia autem illa remedia nauseam vomitumque nimis vehementem minime tollere possint ad *Opiata* confugiendum est *h*). MANNING imprmis *i*) vomitum, si gravidas tanto vexet impetu, ut nocturnam quietem illis adimat, eo cohibendum esse docet, ut, antequam cubitum eant, toties quam vomitus impetus requirat, guttas xv–xx. Laud. liqu. Sydenh. mixtas cum duobus vel tribus cochlearibus Aquae Menth. aut Cinam. sumant, quo vulgo irritatio leniatur, salutarisque somnus efficiatur. Ill. quoque VAN SWIETEN

*k*)

*h*] HAMILTON itaque l. c. p. 112. dicit: After a very reſtless night, an opiate may be given, now and then, the following night, with great advantage.

*i*] L. c. p. 304.

*k*) nauseam perpetuam ac vix tolerabilem, vomitumque affligentem gravidas, quibus systema nervosum admodum irritabile erat, aliquot guttulis Laud. liqu. Sydenh. datis, saepius sedavit. Eodem modo Puzos *l*), La Motte *m*) et alii parvam dosin Theriac. commendant *n*) *).

§ 50.

*k*] L. c. p. 464.

*l*] L. c. p. 75.

*m*] L. c. p. 153.

*n*) Astruc eandem fere fovet sententiam. Inquit enim l. c. T. II. p. 46. Il faut songer à modérer les vomissemens, s' ils devenoient trop violens ou trop opiniâtres; pour cet effet, loins des repas et après que l' eſtomac a été vuidè par le vomissement et lavé par quelques verres de tisanne ou quelques tasses de Thè leger, on peut donner gr. X. de Theriaque ou gr. i. de Pillules de Cynoglosse, ou de celles de Starkey, de trois heures en trois heures, iusq' à ce que le soulevement cesse entierement. --

*] Gravidis, in quibus vomitus caussa sola in nervis

irritatis

## § 50.

Saepe etiam in nausea ac vomitu arcendo singularis virtutis sunt :

*Remedia sic dicta externa stomachica*,

quae maxima ex parte regioni epigastricae applicantur et quidem optime supra costas spurias lateris sinistri, infra quas maior ventriculi pars sita est.

1) *Fomentationes emollientes et Embrocationes* cum oleo quodam dulci. Quae imprimis conveniunt feminis ventriculum frigidum ac temperamentum pituitosum habentibus. GOUBELLY *o*) formentationes

nes

Irritatis quaerenda, secundum MURSINNAM l. c. p. 85. Cremor Tartari, si quantitate parva ad drach. β, aqua multa admixta detur, optime adhibetur; porro etiam remedia terreſtria, magnesia alba praecipue addenda sunt. — Pater ipse meus venerandus mixtione ex Magnesia, Nitro et Cremore Tartari in vomitu gravidarum optimo cum successu saepius usus est.

*o*) L. c. T. I. p. 150.

nes ex Cicuta ad uteri corporis regionem applicandas censet.

2 ) *Balsami roborantes p* ) *vel Unguenta* ex Oleo destillato aromatico cum Balsamo Peruviano et aliis mixtis, vel Linimentum volatile camphoratum, quibus abdomen inungitur.

3 ) *Emplastra stomachica*, e. g. IUNKERI vel Theriacae vel de Tacamahaca cum Oleo Anethi cet. MANNING *q* ) iubet emplastrum satis largum, quod totam ventriculi regionem tegat, applicari. Applicatio taleae panis cum aqua Lavendulae vel Reginae Hungariae madefactae saepissime etiam magnae est utilitatis. — Si continuus urgeat vomitus, nec internis sedari possit remediis, Ill. FR. HOFFMANN *r* ) emplastrum stomachale

*p* ) Imprimis ab auctoribus ad hoc consilium laudatur Balsamus Embryonum. Ill. STORCK autem in libro iam supra citato p. 130. Balsamum s. Oleum Nuciſtae ( *Moschatenbalsam* ), scrobiculo Cordis infricatum, nauseam ac vomitum optime tollere ait.

*q* ) L. c. p. 202.

*r* ) Med. Consult. T. IV. p. 39.

machale hunc in modum paratum, et calide applicatum laudat:

℞. Empl. de Crusta Panis unc. ii.
Bals. Peruv.
Olei Nucistae
— Mastichis aa. drach. ii.
— destill. Menth.
— — Absynth. aa. drach. i.

4) *Epithemata* ex Aqua Reginae Hungariae cum Tinctura Thebaica calefacta.

5) *Vesicatorium*, regione Nuchae applicatum, cel. FISCHER, Praeceptor semper a me pie colendus, in praelectionibus de feminarum morbis, valde nobis commendavit.

6) Neque *Clysteres* ex plantis emollientibus et soporosis omittendae sunt, de quibus illud a Cel. CHAMBON DE MONTAUX *s*) commendatum clysma adhibere possumus:

℞. Sumitat. Plant. emoll. Manipp. ii.
Herb. Rutae

s) L. c. T. I. p. 315.

— Cicutae aa. Manipp. i.
Coq. c. aquae s. q. ad duas Clysteres
In Col. dissolv. Sal. Amon. drach. i.
Fiant duae Clysteres, quarum una matutino tempore ieiune, altera ante coenam sumenda.

7) Denique etiam *semicupia tepida*, cum statum spasticum relaxent, in nausea ac vomitu gravidarum bono cum effectu applicanda fortasse sunt. Hunc enim in finem commendavit Ill. FR. HOFFMANN *t*) ex aqua dulci balneum incoctis eidem herbis, Origano, Calamintha, Mentha Catharia, Melissa, floribus Chamomillae, in quod aegra duabus vel tribus ante prandium horis ad pectus usque descendat, inque eo per horae spatium permaneat, cavens ne superior corporis pars sudore perfundatur. Quod balneum mirifice systema nervosum spasmo constrictum, virtute relaxante leniat, fibrasque tensas emolliat.

 § 51.

t] Med. Consul. T. IV. p. 37.

## § 51.

### III. *De cura nauseae ac vomitus a caussa gastrica*

Statum gastricum ex signis supra allatis cognoscere haud difficile erit. Quis enim de illo dubitabit, si in ultimis praecipue graviditatis mensibus nauseam vomitumque comitetur linguae sordities, oris amaror, appetitus prostratus, cet.? Res autem magni momenti in curatione huius generis vomitus est, indagare, cuius indolis sint sordes, quae vomitum proferunt, an nempe biliosae? an acidae? an putridae? Secundum harum naturam enim remedia eligenda sunt.

## § 52.

Quod autem remedia, quae in eo genere nauseae ac vomitus gravidarum, de quo nunc loquimur, imprimis adhibeantur, attinet, facile intelligitur, talia debere esse,

quae

quae caussam tollant, i. e. sordes ex primis viis evacuent. Cum autem saepe in graviditatis praesertim fine, quo tempore ventriculus maxime a summo volumine uteri expansi comprimitur, magnaque durarum faecium copia in ventriculo intestinisque accumuletur, parum proficere possimus; si caussam morbi vi evacuantium statim e sede sua pellere velimus, quae eo magis resistere conaretur; praestat itaque his evacuantibus resolventia praemittere e. g. Cremorem Tartari, Tartarum Vitriolatum, Arcanum duplicatum, Nitrum, sal Amoniacum, Tartarum emeticum in parva dosi a grano dimidio ad granum unum, ad mixturam resolventem ex Centaur. minor., Card. Bened. cet. additum, e. g.

R. Tartar. Vitriol. drach. ii.
Tart. emet. gr. ß.
solve in Inf. Card. Bened. unc. vi.
adde: Oxymel. simpl. unc. i.

Cuius Mixturae sumantur alternis horis cochlearia duo.

Eo modo enim per quadraginta octo horas

ras resolventia adhibita, sordes mobiles redduntur, et tunc evacuantia maiori cum euphoria eas ex primis viis eiiciunt.

§ 53.

Sordes ex primis viis evacuari possunt, vel vomitorio per os, vel purgante per alvum. Si sordes sursum turgescant, primam methodum, si deorsum, alteram praeferimus. Cum autem natura ipsa per vomitum spontaneum, quem in graviditate excitat, nobis quasi innuat, sordes ex primis viis per os debere evacuari, eius etiam nutum sequi debemus et in curatione nauseae ex vomitus gravidarum, qui ex sordibus gastricis originem trahit, in plerisque casibus methodo catharticae illam emeticam praeferre *u*). Agamus itaque primo

*u*) Etiam secundum Ettmülleri sententiam in Op. Med. Theoret. Pract. Genevae 1736. T. III. p. 5. 22. vomitoria multo meliora sunt purgantibus Audiamus eum differentem: in iis, quae facile vomunt

primo loco de usu vomitoriorum in hoc gravidarum malo.

§ 54.

Non solum medici veteres, sed et multi ex recentioribus usum emeticorum tempore graviditatis propterea timuerunt, quod maiorem inde sanguinis commotionem oriri et motum illum convulsivum cum vomitu coniunctum plerumque abortum proferre, persuasum sibi habuerunt. Sic inter alios Cel NENTER *x*) dicit: " Vomitoria, etiam si cruditates primarum viarum adsint, et ipsa natura viam nobis praemonstret, non tuto exhibentur ". Negare equidem non possum, vomitum, magna cum violentia



munt et continua nausea laborant leviora et blanda vomitoria primis mensibus propinare, saepe proficuum eſt. Nam ipsa natura hac in parte subinde noſtra eſt magiſtra, quae nobis viam praemonſtrat et in primis mensibus crebros, interdum continuos, provocat vomitus. Hanc ipsam ergo et caute imitari, cui erit prohibitum? —

*x*) L. c. II. p. 840.

si fiat, uti supra vidimus, vel si emetica magna in dosi et frequenter adhibeantur; in abortus periculum gravidas posse adducere; sin vero in minori quantitate, et iusto tempore medicus cautus, qui secundum indicationes morbos sanat, iis utatur, nullo modo ex eorum usu periculum abortus timendum est, imo potius et matri et foetui saluberrima sunt, quippe quum eorum usu sordibus evacuatis saepe vomitus spontaneus statim cesset. Auctoritate Richteri, Viri Ill., Praeceptoris in aeternum colendi, uti hic liceat, qui ipse interdum, in initio abortus (a caussa scilicet gastrica) vomitoria adhibuit, quibus non solum abortus non accelerabatur, sed omnino impediebatur. Saucerotte *y*) porro, liberorum extra matrimonium conceptorum numerum minorem, ait, futurum, si vomitoriis abortus semper efficeretur. Hunc autem vomitu non effici, inde apparere, quod gravidae sine omni abortus damno,

*y*) L. c. p. 9.

damno, in primis praesertim mensibus, vomitus vi cum magna corporis concussione coniuncta saepius afficiantur.

§ 55.

Mihi ipsi, tironi adhuc, cum nondum contigerit, experientia ipsa usum vomitoriorum hac in re dignoscere ac ponderare, Virorum Celeberrimorum in testimoniis acquiescere necesse est. Exstant autem observationes multae, quibus constat, vomitoriorum usum in vomitu gravidarum non solum innoxium, sed etiam salutarem esse. Cum inter medicos recentiores, tum et inter eos, qui antiquiores de nausea ac vomitu in scriptis suis egerunt, multi ad impuritates ex ventriculo citius eiiciendas, naturam levi vomitorio adiuvandam esse necessarium arbitrabantur. Inter illos autem in vomitu gravidarum ad sordes ex primis viis expellendas usum emeticorum

praecipue laudant IOHNSON z), HAMILTON a), MURSINNA CHAMBON b), DE MONTAUX

z) Dicit enim l. c. p. 106. From experience I. will venture to aſſert, that in giving Pulv. Ipecac. ab granis ii. - iv vel v., or even Tartar. emetic. ab gr. i. ad gr. ii. I have known good, but never any evil produced.

a) L. c. p 112. The indigeſtion, ait, incident to the early months, is increased by improper food, which the woman is often obliged to swallow, much againſt her inclination, it is also kept up by confinement and a sedentary life. Gentle vomits are, therefore in this view, absolutely neceſſary, and affect the body much less than natural ſtraining They require to be repeated once a weak or oftener, as the use of them is indicated, by sickness and loathing, reachings and ill taſte in the mouth, putrid belchings and the like — When the ſtomach loaths all kind of food, when the sickness is exceſſive, when the ſtrainings are frequent and severe gr. XIV. or gr. XV. Ipecac. may be given, not only with safety, bu often with the happieſt effects.

b) L. c. p. 85. Si multae sordes et bilis acris copia in ventriculo suspicaretur, leviorem solutionem Tartari emetici granorum duorum in aquae fontanae unciis duabus et addita syrupi Altheae uncia una adhibendam censet. Huius potus cochlear unum quavis hora dimidia donec vomitus violentia ceſſat, sumendum

TAUX *c* ), Goubelly *d* ), et multi alii.

§ 56.

Vomitorium ex pulvere Radicis Ipecacuanhae ad grana v - vii. praeferendum est Tartaro emetico. Haec enim Radix praeter vim emeticam etiam gaudet subadstringenti. Vi sua emetica evacuat sordes ex ventriculo et humores serosos ex eiusdem vasis expellit; vi subadstringenti autem eundem una cum vasis ita roborat, ut sic eodem, quo vomitum afficiat, tempore compescat.

§ 57.

sumendum eſſe vult, affirmans, gravidas saepiſſime in hoc potu maximum inveniſſe levamen.

c) L. c. T. I. p. 126. dosin moderatam Ipecacuanhae praescribit si gravida per vomitum materias foetidas ex primis viis eiiciat. En eius verba: On n'a rien à craindre de l'effêt de ce reméde, parce qu'il n'excitera pas un trouble auſſi violent que le vomiſſement spontané, d'ailleurs son action inſtantanée et dès qu'elle ceſſe, le spasme, qui l'accompagne se diſſipe —

d) L. c. T. I. p. 131. ubi gr. XV - XX. Ipecac. commendat.

## § 57.

Cum autem multi dentur casus, in quibus vomitoriorum usus sit nullus, ea remedia adhibere debemus, quae materiam peccantem ex primis viis per alvum evacuent; qualia sunt vel *lenia purgantia* vel *clysmata emollientia et aperientia*. Quam methodum omnes auctores, qui de gravidarum morbis praeclare egerunt, laudant atque praedicant.

## § 58.

Vbi adversus vomitum gravidarum purgantia adhibenda sunt, mitiora sane eligenda, eaque alvum leniter aperientia. Fugienda itaque sunt drastica, ut Helleborus, Scamonium, Colloquinta, cet., quae cum intestina valde irritent et dolores incitare possint, gravidas in abortus, imo mortis periculum adducere possunt. Sic HIPPOCRATES *e*) feminae Antimachi mentionem

*e*) Lib. V. de morb. popul.

tionem facit, quae purgativo in graviditate nimis violenti sumto fuerit necata *f*).

§ 59.

In primis vero et ultimis graviditatis mensibus, si feminas vomitus, caussa gastrica ortus, vexat, purgantia fortia omnino sunt fugienda. Primum enim, in primis mensibus cum vincula foetus cum matre tenera adhuc sint, pediculorum fructuum recentium instar, facile rumpi possunt; deinde in ultimis mensibus, foetus vel minimo conatu, uti maturus scilicet fructus, emitti sane potest. Mediis itaque mensibus cum validiora tunc sint vincula, tutius purgare licet. Quod idem Hippocrates *g*) docet, dicens: « Praegnantes medi-

*f*) Conf. Riverius in Prax. Med. lib. XV. c. 16. Sennertus in Prax. lib. IV. P. II. qu. 3. Zacut. Lusitanus lib. III. de Med. princip. hiſt. 14. Ettmüller in Opp. med. T. III. lib. IV. ſect. VI. c. 3. art. II. cet.

*g*) Aph. I. Lib. IV.

medicandae, si materia turget, quarto menſe usque ad septimum, sed hae minus, a iuniore autem foetu et seniore abstinere oportet „.

§ 60.

Ex §§ antecedentibus vidimus, vomitum gravidarum, a sordibus gastricis in primis viis originem trahentem, non purgantibus fortioribus, sed lenioribus curandum esse, quae toties, quoties necessitas requirit, intermissis ad quiescendum diebus nonnullis, repetere debemus. Ad hunc finem imprimis laudandae sunt parvae doses Rhei opt. admixtae cum Cremore Tartari vel Magnesia alba vel Calomele, aut Pulv. Rad. Ialapp. scrup. i. cum Calomel. gr. ii., vel Pulpa Tamarind. cum Sale de Seignette, vel Tartar. Vitriolat., Arcanum dupl., Liquor Terrae Fol. Tart. cum Tinct. Rhei, cet. Magna cum utilitate etiam leniter purgantia cum stomachicis coniuncta adhiberi possunt. Tali modo

et

et in vomitu pertinacissimo saepe bono cum successu purgantia cum opiatis coniungi possunt. — Tinctur. Rhabarb., statim post vomitum ad drach. ii. in duabus vel tribus dosibus sumendam, STORCH *h*) in vomitu gravidarum optimum et tutissimum ducit remedium. Quam saepius cum Tinctura Corall. seu Cascarillae mixtam felici cum eventu adhibuit, v. c. sic:

℞. Tinct. Cascarill. drach. v.
— Rhabarb drach. ii.
— Tartar. drach. i.

Sumantur XL-L guttae mane, interdum etiam statim post vomitum *i*). Iubet quoque in vomitu frequentiori Pulv. Rhab. elect. scrup. i. et Crem. Tart. scrup. ii. statim post vomitum in tribus partibus *k*), porro Sal. amar. et Pulv. Rhab. aa. scrup. i. dua-

*h*) L. c. cas. 1. 2. 16 31. 35. 47. 49. 50. 59. 71. 74. 76. 82 103. 110. 146. 151. 286. 287.

*i*) STORCH l. c. cas. 286.

*k*) Id. l. cas. 82.

duabus sumere *l*). — La Motte *m* purgantia praescribit leniora ex Rheo, Succo Cassiae, Manna et Syrupo Pomorum. — Mauriceau *n*) Infusionem laudat ex Rhei drach. ß. Fol. Sennae drach. i - ii. et Syrup. Cichor. unc. i, vel etiam Mannam, Cassiam, Tamarind., admixta parva quantitate Rhei aut Syrup. Cichor. compos. — Astruc *o*) purgationem ex Rheo, Sale de duobus et Manna praescribit. — Deleürye *p*) ad obstructiones alvi impediendas remedia lenia et amara, ut animam Rhei, et salia media laudans, boli formam gravidis propterea fortasse maxime noxiam, quia, bucca nimia medicamentorum

*l*) Loc. cit. cas. 161.

*m*) Loc. obs. 39. 40.

*n*) Loc. cit p. 131. 132. ait: Il est souvent très à propos de saigner la femme grosse avant que de la purger pour ces vomissemens, laissant quelques jours d'intervalle entre ces deux remédes, pour éviter, que l'agitation des humeurs ne soit pas si grande et afin que l'evacuation s'en fasse plus aisément. —

*o*) Loc. cit. T. V. p. 267.

*p*) Loc. cit. §. 357.

rum copia impleta, nausea facile oritur, adhibendam esse nolit. — Ad alvum aperiendam sordesque eiiciendas una ex sequentibus formulis ab Ill. Iohnson q) laudatis commode dari potest:

℞. Magnes. alb. drach. i.
Pulv. Rhei gr. xii.
Aquae purae
— Menth. spirit.
Syrup. e succo aurant.
singulorum drach. i. ß

M. f. Haustus, primo mane alternis diebus vel uti e re esse videtur sumendus.

Quod si autem a ventriculo mane acceptus contineri nequeat, sive hora una seu duabus ante prandium sive vespertino dari debet tempore; ubi vero et tum frustra adhibeatur, seu gravida Magnesiam nauseet, eius loco dari oportet:

℞. Tart. solubil. drach. ii.
Mannae unc. ß.
solve in aquae unc. i. ß

Col.

q) Loc. cit. p. 106.

Col. adde: aquae Menth. spir. drach. ii.
M. f. Haust. mane sumendus.

Vel hoc modo:

℞. Pulv. Rd. Jalapp. gr. xv.
— — Rhei gr. v.
Nitri gr. x.
Aquae Menth. simpl. unc. i. ß
— — — spirit.
Syrup. Rosar. solut.
singul. drach. ii.

M. f. haustus mane sumendus.

Si autem forma Electuarii gravidis magis placet, hoc praescribit Electuarium:

℞. Elect. lenitiv. unc. ii.
Cremor Tart. unc. ß
Pulveris Rhei. drach. i. ß
Syrup. Rosar. solub. q. s.

ut fiat Electuarium, de quo capiat aegra quantitatem nucis moschatae alternis noctibus, vel saepius, si alvus non fuerit satis soluta.

Mursinna r) nauseam et vomitum gravidarum

r) Loc. cit. p. 84. sq.

vidarum saepissime eo sustulisse testatur, ut salia media cum Rhabarb. parvis dosibus daret et mucilaginem avenaceam seu potum instar theae e floribus Chamomillae cum succo Citri et sacchero post sumtam medicinam crebro bibere iuberet. Quae autem potum calidum fastidiant, sumere debeant frigidum, vel aquam *Selteranam* vel *Pyrmontanam*. Pulverem autem fastidientibus nauseantibusve dari iubet Sal mirabile Glauberi aqua solutum et non nihil Tincturae Rhei aquosae *s*), addito Syrupo seu saccharo; cuius medicamenti quavis hora cochlear unum sumtum optimum producat effectum. In nimio autem vomendi irritamento, absentibus bilis acris signis, addere iubet uncias Syrupi Papaveris albi nonnullas.

 §. 61.

s) Optimo cum fructu huic solutioni etiam Liquor anod. mineral. Hoffm. in parva quantitate addi poſſe, credo.

§ 61.

Praeter purgantia illa lenia optimum quoque interdum usum praebent Clysmata, alvum aperientia, illis praecipue adhibita, quae alvum habent a natura segniorem *t*); determinant enim humores superfluos ad partes inferiores faecesque duriores ex Intestino Colo et Recto eiiciunt. Falso autem a nonnullis propterea noxia habentur clysmata, quod ligamenta uterina emolliant atque relaxent, foetusque ac matris coniunctionem debilitent; porro his iniectionibus flatus et colici dolores efficiantur, quibus omnibus autem quotidiana repugnat experientia *u*).

§ 62.

Vomitus biliosus, plerumque valde vehemens,

*t*) La Motte imprimis commendat Clyſteres ex puro lactis sero.

*u*) V. Sancerotte l. c. p. 11.

hemens, sedatur levi Infusione Chamomillae, Centaureae min., Decocto Hordei cum Melle, Aqua cum succo Ribesiorum vel Granatorum mixta, imo saepe etiam sola aqua. Hi enim liquores stomachum inundantes, bilem nausea immissam facile diluunt, affluxum eius nimium cohibent, leniterque omnino expellunt. Interdum etiam ventriculo, qui bilis affluxu, seu nervis eius convulsive motis irritabatur, sedato, vomitum omnino tollunt *x*). Quod si vero hoc modo vomitus biliosus non cesset, materia ista biliosa et acris, nauseam ac vomitum excitans, secundum indicationes vel sursum vel deorsum evacuanda est.

§ 63.

Si sordes pituitosae et acidae sint, *resolventia* et *absorbentia*, vel sola vel cum aromatibus et purgantibus amaris coniun-



x) V. Puzos l. c. p. 75.

cta, adhibeantur necesse est. Pilulae v. e. ex Sapone Alicantino, Magnesia et Rheo confectae, a gravida matutino tempore cum Infuso Chamomillae sumendae, etiam quotidie illo temporis spatio eidem scrupulum circiter unum pulveris sequentis aqua mixti exhiberi potest:

℞. Tart. Vitriol. unc. i.
Pulv. Cort. Aurant. drach. vi.
— Rhei elect unc. ß M.

§ 64.

Cum autem a frequentiori vomitu tonus ventriculi admodum debilitetur, necesse est, ut, vomitu remediis idoneis sedato, ventriculus corroboretur. Quare *tonica* et *stomachica* tam interne quam externe adhiberi debent. Interne propinentur Radix Ari., Columbo, Cort. Peruv, (qui forma Pulveris secundum Goubelly *y*) bonos producit effectus), Cortices Auran-

*y*) Loc. cit. T. I. p. 131.

Aurantiorum conditi, Elix. Vitriol Mynsichti, Liquor anodyn. min. Hoffm., Elix. acid. Halleri, vinum lautum Hungaricum vel Rhenanum antiquum z) cet. Externe imponantur ventriculo *roborantia balsama stomachica* cet., uti supra demonstravimus.

§ 65.

Quae cum ita sint, exempla tamen exstant, quibus constat, omnibus illis remediis laudatis nauseam ac vomitum gravidarum, praesertim si in ultimis gestationis temporibus a situ foetus in utero oriantur, tolli non potuisse. Sunt quidem, qui tum usum antispasmodicorum laudent; attamen non solum illis omnis deerit medendi effectus, verum etiam teste DELEURYE a) saepius hoc malum augebunt. Quo in casu autem *partus ipse* solum est specificum.



z) MURSINNA l. c. p. 87. sedato seu omnino sublato vomitu poculum vini Gallici albi, pane bis cocto intincto, poſt cibos captos sumere iubet.

a) Loc. cit. §. 359.

## § 66.

*De nonnullis adhuc remediis, quae contra vomitum gravidarum laudata sunt.*

Antequam vero dissertationi finem imponam, quaedam adhuc remedia, quae efficacissima in vomitu gravidarum a Cel. auctoribus habita sunt, afferre liceat. Veteres nonnulli medici crediderunt, vomitum ligaturis manuum ac pedum, caute et non iusto arctius post cibos captos institutis, frictionibusque artuum lenibus tolli posse *b*). Porro idem hoc effici granis punicis in ore retentis, Avicenna *c*) statuit. Alii suadent Mala Citr., Aurant., Granat. masticare atque exspuere. Aetius *d*) ad sistendum vomitum pedes ac manus in calidam aquam demittendas esse vult,

*b*) Hieronymus Mercurialis de morb. mulier. Lib. I, c. 4. in Oper. Spachii p. 234.

*c*) V. in Oper. Spachii. p. c.

*d*) V. Rod. a Caſtro l. c. p. 417.

vult, etsi vulgo quidem in frigidam demitti soleant, hoc tamen in calida, illud in frigida affectione magis convenire. Nonnulli veterum pro certo experimento habuerunt *tabulam eburneam* ventriculo adplicatam *e*). Alii e. g. FRANC. RACHINUS *f*), PRIMEROSIUS *g*), ROD. A CASTRO *h*) iubebant, omnibus remediis frustra adhibitis et vomitu nihilosecius diutius ac graviter perseverante, *cucurbitulam magnam* regioni ventriculi post assumtum cibum applicari, ibique per aliquod tempus relinqui. Sed MAURICEAU *i*) hoc remedium inutile habet, quod ventriculus non affixus adhaereat parti illi abdominis superiori. RODERICUS A CASTRO *k*), si vomitus cum ventriculi dolore fiat, umbilico

*e*) V. CAMERARIUS in diſſ. alleg. §. 17.

*f*) De morbis ante partum, in partu et poſt partum, pag. 77.

*g*) Loc. cit. p. 259.

*h*) Loc. cit. p. 417.

*i*) Loc. cit. T. I. p. 134.

*k*) Loc. cit. p. 418.

lico pomum assum vel panis frustum vino Malvatico madefactum imponere suadet. Etiam sacculos factos ex speciebus nervinis, resolventibus, stomachicis, carminativis e. g. ex Rad. Caryophyll., Angel., Herb. Menth., Ror. Marin., Serpill., Chamomill. cet. vino generoso humectatos, sicque scrobiculo cordis calide adplicatos multi auctores laudaverunt. Omnia remediorum adversus vomitum gravidarum genera superare Decoctum Chamomill. maioris scribit Jo. LE BON *l*). ERHARD *m*) hoc adversus vomitum gravidarum adhibendum vult specificum, Grana Citri nempe excorticata, quorum portio una cum triplici sacchari miscenda et postquam omnia bene trita, quantum capiat cuspis cultri semel sumendum. Tincturam Vitrioli Martis Zwelferi mulieribus gravidis nimis vomentibus ad gutt. XXX - XL praeclare con-

*l*) In Therap. Puerp. part. VI.

*m*) In. append. ad. LONICERI *Kräuterbuch.* p. 5.

convenire credit Ettmüller *n*); alia martialia autem, Martis magis impraegnata, minus tuta esse, et eorum usu tormina, parturientium similia, excitari observavit. Imprimis convenit haec Tinctura Vitrioli martis *Zwelf.* si tempore gestationis urgeant passiones hystericae cum vomitu.

*n*) L. supra cit.

FINIS

*The-*

# *Theses.*

1. *Sunt Fibrae Musculares in Utero.*

2. *Melius est, prolem lactari a matre, quam a nutrice.*

3. *Dysenteria est Rheumatismus Intestinorum.*

4. *Ossa Pelvis in tempore graviditatis ac partus dilatari, credo.*

5. *Laesiones Capitis minores subinde plus minantur periculi, quam maiores.*

6. *Suturas Cranii trepano perforare, ubi opus est, licet.*

7. *Magna est hirudinum vis ad Ophthalmias sanandas.*

8. *Vomitoria subinde in Febre putrida maxima cum utilitate a Medicis adhibenda sunt.*

9. *Gravidis vomitum ciere, aliquando necesse est.*